

3 FRAN. PETRARCH.

honorosæ militiæ alternam ocij remissionem necessariam iudicasset.

SOCRATES.

Sed aliò spectare arbitror, quod de Socrate scriptum est, cum iam senior foret, vacare fidibus cœpisse. Non enim apud me similitudinem veri habet, tantum virum, illa ætate præsertim discendi potius gratia, tam parvæ rei tempus impendisse, quàm discendo docendoque fatigatum talis ocij solatium quæsiuisse. Quod parcius miror, dum eundem arundine cruribus inserta colludentem infantulis suis intueor, quod cernens familiarissimus sibi risisse fertur Alcibiades.

RECENTIORES.

ROBERTVS SICILIAE

REX.

AT ne semper vetustissimis immoremur, sitque aliquis & ætati nostræ locus, Robertus Hierosolymitanus & Siculus, Rex Regum & Philosophorum huius æui meo princeps iudicio, per singulos dies statutis horis, è medijs regni vitæ turbinibus, in ocium, velut in aliquam quietissimam stationem sese conferre cōsueverat, illic multiplex ei quon-
dam